

citadine, vos dignabitur custodire. Et si hanc, de qua A
 in prior, oculi petulantiam in aliquo vestrum quis ad-
 verterit, statim monete, ut de proximo corrigatur.
 Nec se putet malevolum, quando hoc indicat; et
 ideo debet publicari qui ejusmodi est, ne in deterius
 crescat. Si vero admonitus emendare neglexerit,
 abbati est indicandum, ut ab ipso emendatoriam
 subeat disciplinam. Si autem nec sic emendaverit,
 quasi ovis morbida a vestra societate projiciatur, ne
 exemplo suo alios perdat, ita enim de cupiditatis
 vitio est inquirendum, ut cum hoc vitio agnoscitur
 quis laborare, castigetur a plurimis, cum dilectione
 proximi et odio vitiorum.

CAP. XIX. Qui vero litteras vel munuscula cujus-
 cunque accipere præsumpserit, si non statim, a
 quo accepit, et quæ accepit publicaverit, districtiori B
 severissimæ subjacebit. Illa vero quæ transmissa sunt,
 peregrinis et ignotis deputabuntur, aut certe incen-
 dio cremabuntur. Sane si quis suis filiis, vel aliqua
 ad se necessitudine pertinentibus aliquid contulerit,
 in rem communem redactum, cui necessarium fuerit
 tribuatur. Si vero cui transmissum est, abbas præ-
 ceperit dari, tanquam reliqua fidelium munera cum
 gratiarum actione percipiet. Observandum est etiam
 ne interioris animæ sordes contrahat vestis mundæ
 nimius appetitus. Quapropter secundum præpositi
 sunt ordinationem lavandæ. Quæ tam simplici erunt
 et nativo colore procurandæ, ne disparilitas vestium
 nutriat arrogantis vitium: et ita sunt indigentibus
 tribuendæ, ne vitio avaritiæ reservatæ, providendis
 singulis detur audacia. Si quis vero his negligenter C
 expetenda putaverit, præpositi sit cura, ut inter-
 versor rerum monasterialium corrigatur. Ante om-
 nia procurantes, ut lites nullas habeatis; si autem
 diabolo instigante factæ fuerint, celeri satisfactione
 sanentur; et inde proferantur remedia, unde facta
 sunt vulnera; nec occidat sol super iracundiam ve-
 stram (Ephes. iv). Consuetudinem jurandi abjicite.
 Sit sermo vester, est est, non non; quia, sicut
 Dominus ait: *Quod his abundantius est, a malo est*
 (Matth. v).

CAP. XX. Femine vestrum non frequentent habi-
 taculum, sed cum pro devotione sua, vel pro amore
 religionis vestræ expetierint monasterium, non eis
 concedatur interiores monasterii januas introire, sed
 in oratorio, aut in hospitali domo reddatur illis ho-
 nor et gratia: non expectationis causa, sed pro
 constitutione regulæ vel monasterii disciplina. D

CAP. XXI. Infirmis quoque, vel aliqua inæ-
 qualitate laborantibus satis fidelis et strenua debet
 persona præponi; quæ et ægrotis cum pietate ser-
 viat, et monasterialem disciplinam regulariter con-
 stodiat, et quæ conveniunt infirmis, rationabiliter
 expendat.

CAP. XXII. Qui cellario vero vel codicibus præpo-

nuntur, sine murmuratione serviant fratribus. Co-
 dices qui extra horam petierint, non accipiant; et
 qui apud se habuerint amplius quam constitutum
 est, retinere non audeant. Hæc in nomine Christi
 agentes, scitis vos proficere, et cum suavitate et
 quiete in monasterio perdurare. Quando autem ne-
 cessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos
 verba dura compellit, etiamsi in ipsis modum exces-
 sisse vos fortasse sentitis disciplinæ; non a vobis
 exigitur, ut veniam postuletis: ne apud eos quos
 oportet esse subjectos, dum nimium servatur humili-
 tas, regendi frangatur auctoritas. Tamen petenda
 venia est ab omnium Domino, qui novit etiam eos
 quos plus justo forte corripitis, quanta benevolentia
 diligatis. Caritas enim, de qua scriptum est, *quia*
non quærit quæ sua sunt (1 Cor. xiii), etiam hic in-
 telligitur custodiri: quia dum alienam vituntur hu-
 miliare superbiam, quantum desiderant non possunt
 humiliari personas. Quia non carnalis, sed spiritalis
 inter vos debet esse dilectio; et ideo de omnium sa-
 lute diligentius cogitate: quia de commissis sibi ani-
 mabus unusquisque redditurus est Domino rationem.

CAP. XXIII. Præposito specialiter obediatur, multo
 magis abbati, qui vestrum omnium curam gerit, quia
 qui illos spernit, spernit eum qui dixit: *Qui vos audit,*
me audit, qui vos spernit, me spernit (Luc. x). Ut
 ergo cuncta ista servantur, et si quid servatum non
 fuerit, non negligenter prætereatur, sed emendan-
 dum corrigendumque curetur, ad præpositum præ-
 cipue pertinebit; ut ad abbatem, cujus est apud vos
 major auctoritas, referat, quod modum vel vires
 ejus excedit. Ipse vero qui vobis præest, non se æ-
 stimet potestate dominante, sed charitate serviente
 felicem; honore coram vobis prælatus sit, coram
 Deo subditus sit pedibus vestris. Circa omnes seip-
 sum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat
 inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infir-
 mos, patiens sit ad omnes: disciplinam libens ha-
 beat, metum imponat. Et quamvis utrumque sit ne-
 cessarium, tamen plus amari appetat, quam timeri:
 semper cogitans Deo se pro vobis redditurum ratio-
 nem. Unde vos magis obediendo non solum vestri,
 sed etiam ipsius miseremini; qui inter vos quantum
 in loco superiori, tantum in periculo majori versatur.

Donet Dominus ut observetis hæc omnia cum di-
 lectione tanquam spiritalis pulchritudinis amatores,
 et bono Christi odore de bona conversatione fra-
 grantes: non sicut servi sub lege, sed sicut liberi
 sub gratia constituti. Ut autem vos in hoc libello tan-
 quam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem
 aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur.
 Et ubi vos inveneritis ea quæ scripta sunt facientes,
 agite Deo gratias, bonorum omnium largitori: ubi
 autem sibi quisque vestrum videat aliquid deesse,
 doleat de præterito, caveat de futuro; orans ut de-
 bitum dimittatur, et in tentationem non inducatur.

DE CUJUSDAM PATRIS REGULA

VETERUM TESTIMONIA.

S. Benedictus Anianæ abbas in Concordia Regula-

rum sæpissime hanc Cujusdam Patris Regulam ad

monachos scriptam laudat, ut et aliam ad virgines: A quamvis ipse eas non distinguat, sed utramque promiscue Regulam Cujusdam appellet, vel Regulam Cujusdam Patris, ut cap. 8, § 7. et alibi.

Smaragdus quoque monachus, in commentario ad Regulam S. Benedicti, subiinde ex hac Cujusdam Patris Regula testimonia affert.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Sub hoc obscuro titulo duplicem habemus Regulam, unam pro viris, alteram pro sacris virginibus, nec ullius auctorem scimus; quancis unus idemque utramque Regulam scripsit. Et quidem, sub hoc etiam incerto titulo, S. Benedictus Anianus in sua Regularum Concordia, atque Smaragdus hanc Regulam sæpius citare solent; prout hic notavit Holstenius. Asperior autem reliquis hæc regula 32 capita complectens, præsertim in monachos inobedientes vel murmurantes; imo perpetuum jejunium præcipiendo, atque præcepta durissima filiis suis imponendo. Hinc sæpe laudatus Calmetus existimat illam a monachis Scotis olim usitatam, præsertim in monasterio de Benchor, ubi S. Columbanus educatus erat; cum S. ille abbas eamdem divini officii distributionem monachis suis Luxoviensibus præscribat. Et quidem hanc Regulam pro Scotis monachis scriptam agnoscimus; ibidem enim rigida Scotorum disciplina continetur, quæ omnibus hodiernæ Scotiæ et Hiberniæ cænobiiis communis erat, adeoque non unico specialis. Quisquis enim ordinem monasticum in monasterio Culrosensi olim usitatum rite attendat, tunc inveniet longe ante S. Comgelli et S. Columbani tempora hanc rigidam disciplinam apud Scotos monachos viguisse. Sic ex vita S. Kentigerni, olim monachi Culrosensis, et postea in Scotia episcopi Glasguensis discimus, illum nutritivisse 900 monachos solo pane et aqua, nec lactici-
nia adhibuisse, nisi diebus dominicis et festivis. Deinde Angli borrales in Lindisfarnensi cænobio a Scotis monachis Christiano dogmate et monastica vita instructi, ab esu carniæ et vini ac cerevisiæ potu abstinebant, solo lacte aqua mixto contenti, donec Ceolulfus rex Northumbriæ, ibidem factus monachus, suis confratribus moderatum vini et cerevisiæ usum procuravit. Pari modo discurrendum est de perpetuo jejunio ubique apud

ipsos usitato, prout ex laudato ordine monastico Culrosensi omnino patet. Adeoque mirum non est, quod Ratramnus Corbeiensis monachus, sæculo nono contra Græcos scribens, perpetuum Scotorum monachorum jejunium commemorat; cum S. Columbanus in sua Regula, cap. 3, præcipiat: Ut cibus sit vilis et vesportinus monachorum.... Ergo quotidie jejunandum est, sicut quotidie orandum est. Cum igitur certum sit, in omnibus Scotorum monachorum cænobiiis rigidissimam vivendi normam olim excultam fuisse; sic hanc præsentem Regulam S. Columbæ, monachorum Scotorum patriarchæ, ascriberem, qui unus et unicus inter plures vitæ monasticæ legislatores archimandrita appellari potest; ut pote centum monasteriorum conditor, et cunctæ disciplinæ monasticæ per hodiernam Scotiam et Hiberniam, si non auctor, saltem reparator. Iste enim est archimandrita ille de quo S. Columbanus cap. 7 Regulæ ait: Sub uno archimandrita mille abbates esse, quibus duodenarius psalmorum numerus quaternis vigiliis nocturnis communis erat. Nec in dubium vocari potest quin inter tot Columbina monasteria apud horrida montium juga plerumque sita, quædam in adeo sterilibus locis erecta sint, ut vix grana frumenti pro alimento sufficerent, et sis promiscuum lacticiniorum usum admittre debuit Regula, quemadmodum et pro potu ordinario lac aqua mixtum, prout cap. 22 conceditur, et etiamnum hodie in sterilibus hodiernæ montanæ Scotiæ regionibus practicatur. Adeoque veritati proximum est, quod hujus Regulæ auctor existit S. Columba, abbas Hyensis cænobii, et monachorum Scotorum verus patriarcha et archimandrita, de quo ven. Beda in sua Historia ecclesiastica scribit, multaque in ejus discipulorumque laudes profert.

REGULA CUJUSDAM PATRIS.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS D
SANCTI.

I. Caveat lector bonus, ne suo sensui obtemperet Scripturas, sed Scripturis sanctis obtemperet sensum suum. Calix passionis amarus est, sed omnes morbos penitus curat. Calix passionis amarus est, sed tamen prior bibit medicus, ne bibere dubitet ægrotus. Oportet namque illum qui alterius vulnera mederi cupit, ab omni languoris morbo alienum sanumque subsistere. Nullo alio vitio diabolus monachum perdit, ac trahit ad mortem, quam cum eum neglectis seniorum consiliis suo iudicio defensionique conspexit confidere.

II. Primum omnium Deus timendus et diligendus est ex totis viribus (Luc. x): et proximus magnopere diligendus est, secundum mandatum Domini.

III. Deinde virtus obedientiæ expetenda est, et secundum vires uniuscujusque exercenda est: et ad primum verbum senioris omnes, qui audierint ex fratribus, assurgere oportet: et qui non surrexerit, veniam petat, et pœniteat, quantum judicaverit senior; et impleat quod jussus est, licet durum videatur. Obedientia usque ad mortem facienda est, secundum exemplum Domini, obedientis Patri usque ad mortem (Phil. ii). Et unumquemque oportet fratri suo servire, sicut abbati proprio vel patri: sicut

Apostolus dicit : *Servite invicem in timore Christi* (Gal. v). Et iterum : *Omnia vestra cum charitate fiant* (I Cor. xv).

IV. Si quis frater inventus fuerit inobediens abbati, sive œconomo, sive alicui ex fratribus, mittendus est in carcerem, et pœniteat quantum judicaverit senior. Si autem post examinationem carceris reprobus invenitur, semel et bis, iterum atque iterum, abscindendus est ab omni fraternitatis corpore, secundum mandatum Domini dicentis : *Expedi enim tibi ut pereat unum de membris tuis, quam totum corpus tuum eat in gehennam ignis* (Matth. v) : et quia *modicum fermentum totam massam corrumpit* (I Cor. v).

V. Non omnibus præsente abbate vel œconomo obtemperandum, quia unus non occurrit ad omnes : sed tamen unusquisque fratri seniori obedire contendat, sicut Domino. Quidquid facit proximo suo, Domino facere non ambigat.

VI. Si quis frater murmurans inventus fuerit, hic ipse mittendus est in carcerem, et opus ejus abjiciatur. Pœnitentiam agat secundum exâmen senioris. Si permittatur ei, satisfaciet : si autem hoc frequenter facit, ejiciendus est de monasterio.

VII. Ad primum verbum discussionis senioris, sive œconomi, sive alicujus fratris, venia petenda est : et tœndiu in terra prostratus donec senior discussionem consummaverit. Si autem senior discussionem iteraverit, et ipse veniam iterare debet. Si quis tardior ad veniam inventus fuerit, sive aliqua verba religioni contraria, sive pro excusatione delicti sui protulerit, mittendus est in carcerem ; et pœniteat secundum quod judicaverit senior, usquequo corrigatur. Si autem obstinatus invenitur, separandus est a fratribus.

VIII. Mendacium, et juramentum, sive verbum otiosum per omne corpus fraternitatis damnandum est. Si quis ex fratribus, cum quo aliquid horum inventum fuerit, mittendus est in carcerem, et pœniteat usquequo a vitio corrigatur : quia *quod mentitur occidit animam* (Sap. 1) : et Dominus in Evangelio juramentum prohibuit, dicens : *Ego autem dico vobis, non jurare omnino* (Matth. v). Et iterum : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii* (Matth. xii). Et Apostolus dicit : *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat : sed si quis bonus ad œdificationem fidei, ut det gratiam audientibus* (Ephes. iv). Si quis ex fratribus post examinationem carceris cavere hæc vitia non poterit, ejiciendus est a fratribus, et damnandus est.

IX. Si quis iracundus inventus fuerit ex fratribus, reus erit in concilio gehennæ ignis, nisi pœniteat, ut vulnera putrefacta castigatione, scilicet ignis medicamento, exurenda sunt : et tumidum vulnus spiritalis ferri sectione utatur : id est, capitalia et mortalia crimina, quæ ducunt ad mortem, oportet dure curari et emendari, usquequo corrigatur, et sanus fuerit, secundum judicium abbatis sive œconomi.

X. Si quis ex fratribus dixerit verbum de fratre,

illo non audiente, vel absente, si non ad laudem et dilectionem illius pertineat, hic tanquam blasphematorem judicandus est : et petat a Deo veniam protinus, et confiteatur fratri hoc quod de illo locutus est. Si autem iterare inventus fuerit, mittendus est in carcerem, et pœniteat dure, usquequo discat illud quod Apostolus dixit : *Sermo conditus sit sale* (Coloss., iv). Excusatio delicti ante veniam non oportet ab omnibus fratribus ; post veniam oportet.

XI. In abstinentia ciborum unam regulam observari oportet ab omnibus fratribus, præter senes, et infirmos, sive infantes ; et una mensura sit in omnibus : id est, ab hora vana usque ad horam æteram a cibis temperandum est. Nec ante, sive post mensam, quæ communiter ad cœnam fratribus apponitur, aliquid ori indulgendum est, nisi infirmitas, sive differentia ætatis sive corporis, aliquid coegerit. Sed neque ad saturitatem edendum est. Caro et vinum, sive potus, in quo sit ebrietas, refutanda sunt monachis, nec suscipienda, quibus pro Christo crucifixus est mundus, et ipsi mundo. Et serias monacho non esse super terram, nisi modicum in adventu fratrum, tanquam Christi, lectior fuerit cibi gratia charitatis. Veruntamen abstinentia tegenda est, ne jactantiæ vitio decidamus in lapsum : quod præ omnibus vitiis gravissimum est.

XII. Nihil quærere debemus ex his quæ ad sæculum pertinent, præter quotidianum panem nostrum, et breve vestimentum, quo induamur. Hæc ipsa sine sollicitudine a nobis requirantur ; ne inveniamur aliquando de regno Dei non cogitare, et dicatur de nobis : *Hæc omnia gentes requirunt* (Matth. vi). Veruntamen monachos semper oportet laborare, et sine sollicitudine vitam suam transigere : omnia quæcunque laboraverint, excepto, ut supra diximus, pane exiguo et vestimento, pauperibus distribuant. Cura pauperum semper facienda est, et omnia nostra cum charitate fiant ; et sine charitate infructuosa sunt apud Deum opera nostra.

XIII. Arbitrio uniuscujusque senioris relinquendum est, unde annum panem monasterio suo provideat : si ex sarculo aut bubus, ut aliquibus mos est, sicut nobis ; aut artificiis, sive negotiis, sive ex conductione mercedis, sive ex quolibet opere.

XIV. Non magnopere curandum est quomodo unusquisque laboret, sed quomodo unusquisque vivat. Quomodo res et ratio et situs loci unicuique permiserit, semper laborandum est, et lex Dei, quæ sive visibilia sive invisibilia continet, observanda est : et nihil ex mandatis Dei, sive magnum sive minimum, prætereundum est : *Quia qui transgreditur unum, factus est omnium reus* (Jac. ii).

XV. Propositum monachi quod promisimus, ex toto corde et ex tota dilectione exercendum est et faciendum : quod in tribus abrenuntiationibus consistit. Primo omnino omnes facultates nostras respuere debemus ; et omnes divitiæ mundi alienæ esse a nobis noscuntur. Deinde in secundo loco, omnia vitia carnis et animæ relinquenda sunt et cavenda :

et omnis ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia auferatur a vobis, cum omni malitia (Ephes. iv). Tertia igitur abrenuntiatio est, hæc omnia quæcunque videntur, sive in cælo, sive in terra, sive in mari, seu et in omnibus creaturis Dei, non solum nihil ex his assimilare Domino debemus, sed omnia etiam illa inferiora nostri arbitrari a nobis oportet: qui ut pote non ultra illa ad cælorum regna, et ad ipsius Domini notitiam extendimus. Et ideo his sanitati sentientibus, et max transeuntibus non magnopere intendimus; secundum quod Apostolus dicit: *Omnia quæ videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt (II Cor. iv).*

XVI. Silentium in omnibus sectandum est, et tacendi disciplina per omnia facienda est; maxime autem juxta missam et mensam: sed in omnibus nihil loquendum est, nisi quod necessitas poposcerit. Si quis præter hanc disciplinam cum clamore et acerbiore sermone responderit, notetur usquequo corrigatur. Si autem hoc vitio curari non poterit, ejiciatur ab unitate fratrum.

XVII. Nihil possidendum tanquam proprium, et specialiter inter monachos; sed sint eis omnia communia. Qui autem dixerit: Meum est hoc, aut illud, peccavit coram Deo; nisi tantum per obreptionem sermonis, sed pro hoc ipso tamen veniam petat a Deo, et caveat de reliquo, et ne iterare audeat. Si quis ex hoc vitio existat insanabilis, expellendus est ab universis fratribus: quoniam vitium philargyrie gravissimum est præ omnibus vitiis, et radix omnium malorum est philargyria (I Tim. vi).

XVIII. Si quis ex fratribus lugubriori lapsu, id est, fornicationis, ceciderit, ejiciendus est de congregatione fratrum, et usque ad diem mortis, sive in alia regione, pœniteat. Sorores igitur raro videndæ sunt, et frequenter loqui ad eas velle prohibemus; ne occasionem inveniamur dari infirmis. Beneficia tamen et munificentiam præstare illis ex toto corde præcipimus: quoniam sunt membra Christi, et matres Domini; et per virginem nos redemit Christus. Sed tamen per fidelissimos et probatissimos denaria mittenda sunt illis, ut evitetur occasio maledicti, gratia hominum pessimorum.

XIX. Non quisquam congregationi fratrum præesse permittendus, nisi qui obediendo didicerit ea quæ aliis præcipi debeant: sed si forsam in Scripturis sanctis satis sufficienter instructus est, tamen si factorum gestis adhibeat fidem, id est, ea quæ decet, opere compleverit, humilitatem ex charitate, patientiam et mansuetudinem ostendendo, et voluntatem senioris implendo, et omnia mandata Domini agendo.

XX. Si quis ex senioribus, sive is qui abbas nuncupatur, voluptuosus existat, et ebriosus, et dives; et qui huic sæculo conformatur, id est, in curribus et in equis de loco ad locum discurrat, hic non solum principatu fratrum indignus est, verum etiam homicida animarum judicandus est: et alius monasterio ejus præesse constituatur. Sin vero non po-

teriat, monachi ab illo exeant, et ille excommunicetur. Si vero pœniteat, subdat se sub manibus senioris, et servituti se subiciat, donec probaverit is qui præest.

XXI. Monachos in curribus et in equis discurrere, præter infirmos, sed debiles et claudos, non permittimus. Si autem hoc fecerint, alieni sint ab unitate fratrum.

XXII. Fratribus, quibus habitatio in sterili terra, id est, absque pane, et sunt in montanis et fructuosis, modicum lactis permittimus cum aqua mixtum. Habitare autem monacho uno cum feminis, id est, cum matribus et sororibus, non permittimus.

XXIII. Quomodo nos obedire ei oportet, qui nos ad opus mandati cohortatur? Sicut infans obtemperat nutrici, sive quæ ad ubera sua eum invitat; imo si quid promptius et celerius, pro eo quod multum pretiosior vita futura quam præsens, obedire usque ad mortem oportet.

XXIV. Quomodo senioreni oportet fieri ad fratres? Tanquam si nutrix foveat parvulos suos, diligens et confortans singulos; et viam perfectionis eis aperiat; et ipse procedat in omni perfectione, et sanetitate cordis et corporis; et sine ulla exceptione personarum omnes pariter et sincera dilectione, tanquam nati proprios, ex toto corde diligit. Si vero viderit aliquem illorum mandatum Domini præterire, non ira erga eum moveatur, sed commiseratione et compassione; secundum illum qui dixit: *Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror (II Cor. xi)?* Si vero negligens in his quæ ad usus corporis et animæ pertinent, sine dubio subicietur illi sententiæ, quæ dicit: *Ita, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitiivi, et non dedistis mihi bibere (Matth. xxv): et ea quæ sequuntur. Et, maledictus homo qui facit opera Dei negligenter (Jer. xlviii).*

XXV. Si quis ex senioribus et abbatibus iracundus inventus fuerit, notetur usquequo corrigatur. Si vero ab hoc vitio insanabilis fuerit, ab imperio fratrum destruendus est, quoniam sive juste, sive injuste, irasci non oportet.

XXVI. Si quis seniori suo detraxerit, non seniori detrahit, sed Domino, cui opus facit senior. Si vero hoc frequenter faciat, abscindatur a fraternitate ac sollicitudine fraterni corporis. Si vero pœniteat, remittenda sunt peccata sua. *Detrahentem, inquit Propheta, secreto proximo suo, hunc persequer (Psal. c).*

XXVII. Si quis inventus fuerit in aliquo spernere senioreni suam, non hominem spernit, sed Deum, et reliqua. Si quis hoc faciat, pœniteat, et reconciliabitur seniori suo. Et omnia quæcunque senior præceperit, secundum mandatum Domini explenda sunt.

XXVIII. Si quis ex fratribus negligens inventus fuerit erga suppellectilem monasterii, hic reus sacri peculii judicandus est. Si quis viderit, eaque in die

adjuvari et corrigi præterierit, hic tanquam neglector et perversor sacræ substantiæ judicandus est. Quoniam oportet unumquemque laborare, et considerantius agere erga substantiam monasterii, ut ipse esset omnium dominus, et omnibus dominetur. Et iterum per nimiam humilitatem tanquam alienum se existimet, et ut nihil præter quotidiana ex ea requirat paxipatia.

XXIX. Si quis ad vocem compulsoris, sive invitantis ad aliud quodcumque, non statim surrexerit, hic inobediens reus est. Petat veniam ad Deum, et iterare non præsumat. Quoniam oportet unumquemque ad primam vocem invitantis assurgere; velut carbo ignis ardentis ascendisset super eum. Si autem obedientia hæc non fuerit, quam dicimus, mortua est, et non acceptabilis apud Deum. *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est (Rom. xiv)*. Cum gaudio semper operandum est: *Gaudete in Domino, justi, et semper decet collaudatio (Psal. xxxii)*. Et iterum Apostolus dicit: *Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete (Phil. iv)*. Si autem triste aliquid oblatum fuerit a nobis in donis Dei, non erit acceptabile apud Deum.

XXX. Tribus conventibus dici, totidemque noctis tempore in ecclesia conveniendum: tres psalmi in unoquoque conventu diei canendi sunt? duodecim vero in nocturnis conventibus cantabuntur, præter illam missam quæ celebratur ortu solis. Orationes vero et duæ lectiones, una de Veteri Testamento, et alia de Novo, in singulis noctis conventibus dicendæ sunt. In his vero conventibus, id est, sabati et dominicæ, usque ad gallorum cantus, missa celebranda est: et quomodo vires uniuscujusque sufficere potuerint, excubiæ peragendæ sunt.

XXXI. Is vero qui ad primum psalmum in die non occurrit, in conventum fratrum non recipietur; sed postea in publico veniam petat. Si vero frequenter hoc faciat, confutabitur usque dum corrigatur. In noctis tempore usque ad secundum psalmum dilatio præbetur.

XXXII. In diebus vero dominicis eucharistia semper accipienda est ad remedium peccatorum: sed cum puro corde et omni sanctitate cordis et corporis oportet nos accedere ad corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Amen.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUEMTEM.

Hujus Regulæ auctor est incertus, quamvis sacræ antiquitatis mangones illam hactenus pro prima S. Augustini Regula venditaverint, ejusque S. doctoris antiquis operum editionibus interpolare ausi fuerint. Hodie enim omnes eruditi consentiunt, S. Augustinum nullam aliam Regulam scripsisse, nisi unam ad Virgines, quam Holstenius in hujus codicis tertia parte adducit, de qua igitur suo loco plura dicemus. Interea brevis est hæc Regula, novem articulos solummodo continens, gene-

ralia quædam præcepta circa statum monasticum tradens, haud aliunde dicta Consensoria monachorum, nisi quia communi omnium in illo monasterio præsentium consensu promulgata fuerit; prout ex exordio colligimus. Antiquitatem autem ejusdem satis denotat, quod auctor citare solet S. Scripturam juxta antiquam Vulgatam, non vero secundum S. Hieronymi versionem.

REGULA CONSENSORIA MONACHORUM.

I. Communi definitione decrevimus apud nos, quod nunquam postmodum ab ullo poterit infringi.

Residentibus nobis in monasterio in nomine Domini nostri Jesu Christi omnibus placuit, secundum apostolicam traditionem, unum sentire et communiter possidere; sicut scriptum est: *Unum sentientes in Domino (Act. ii)*. Et nemo quidquam proprium vindicet: sed sicut scriptum est in Actibus apostolorum: *Habentes omnia communia, et nemo quidquam suam esse dicebat (Ibid.)*, quod et nobis scriptum est. In Domino ergo jure observationis et legis nos tenemus, et in eo usque in finem permaneamus: quoniam scriptum est: *Qui permanserit usque in finem, hic salvus erit (Matth. x)*.

II. Si quis autem venire desiderat ad congregationem fratrum, qui in unum esse videntur, non ignorans Evangelii dictum, quo dixit: *Vendat omnia sua, eroget egenis et pauperibus (Matth. xix)*. Et iterum: *Abneget semetipsum sibi, et tollat crucem suam, et sequatur Christum (Luc. ix)*. Et ne tractet in corde suo

de victu, aut vestimento, et cæteris, quæ necessaria sunt corpori, ipso Domino in Evangelio præmonente et dicente: *Nolite cogitare dicentes: Quid edetis, aut quid vestiemini? hæc enim gentes cogitant. Scit enim Pater vester, quia horum omnium indigetis. Quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis (Matth. vi)*.

III. Verumtamen antequam statuat esse in monasterio, probet propositum fratrum atque exemplum, et ipse probetur in omni conversatione ab illo qui prior est, et cæteris consentientibus: propter illud quod Propheta docet et admonet, dicens: *Amicum noli cito comprobare.*

IV. Sed si contigerit ut aliquis ex quâlibet causa necessitatis a monasterio fuerit abstractus, ne vel mente concipiat secum aliquid ferre de his omnibus quæ in monasterio fuerint: sive etiam quæ secum aliquando attulerat; sive ea quæ cum fratribus acquisierit, quia scriptum est: *Vir mutabilis in lingua incidet in mala (Prov. xvii)*. Et iterum, ut nullum